

mente aliquid ſubintelligat contrarium ei, quod formula exprimit, ipſeque ſenſus obviuſ præſert, & intelligit is, cui juramentum præſtatur. Quia ut rectè expreſſit S. Iſidorus relatus apud Gratianum *Cauſ. 22. q. 5. Can. 9.* "Quicumque arte verborum quiſque juret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, qui juratur, intelligit." Dupliciter autem reus ſit, quia & Dei nomen in vanum aſſumit, & proximum dolo capit. His conſonat hoc Auguſtini *Epit. 125.* "Illud ſanè rectiſſimè dici non ambigo, non ſecundùm verba jurantis, ſed ſecundùm expectationem illius, cui juratur, quam novit ille, qui jurat, fidem jurationis impleri. Nam verba difficillimè comprehendunt, maximè breviter ſententiã, cujus à jurante fides exigitur. Unde perjuri ſunt, qui ſervatis verbis, expectationem eorum, quibus juratum eſt, deſecerunt."

XLIII. Latiffimè hanc reſtrictionum mentalium ſucum jam pridem reſutârunt tres ſuperiores hujus Univerſitatis Facultates, in Reſponſione datâ Parochis hujus oppidi Lovan. qui propoſitis ſuprà expreſſis juramenti formulis quaſierant. "Utrum liceat ambire Magiſtratum, aut officium, ſollicitando ſuffragia Collatorum, promiſſis ſympoſiis, pecuniis, muneribus per ſe vel per ſuos? Rurſus, Utrum liceat munera, ſympoſia, pecunias, aut ſimile quidpiam accipere, per ſe vel ſuos, aut ſinere, ut promittantur ſibi, in eum ſinem, ut ad officium quodecumque ſuar collationis aliquem ſuo ſuffragio quis promoveat; & ſimul tamen liceat iſta juramenta reſpectivè præſtare?"

Hæc erat Parochorum propoſitio; cujus ſecundû membrum reſpectit ad juramentum, quod promovendus ad Magiſtratum etiam præſtare tenetur; nimirum, "ſe non accipiturum, ſive per ſeipſum, ſive per alium, ullam munus, aut oblationem honorariam, ſive in pecunia, ſive in bonis, pro collatione cuiuſquam officii vel miniſterii ſibi competente; nec permiſſurum, ut ulla ſibi fiat ejuſmodi promiſſio eo intuitu."

XLIV. Huic propoſitioni reſponderunt dictæ tres Facultates, "id non licere. Et quiſquis (inquiunt) eorum aliquid, quæ in iſtis formulis tanguntur, juxta quod planiſſimè verba ſonant, fecerit, & tamen juraverit, ſe non feciſſe, eſt indubitati perjuri reus." Quam ſuam aſſertionem ſolidiſſimè adſtrunt, reſutatis argutiis, & detectis palliis, quæ ingeniola ambitio ad excuſandas excuſationes in peccatis, & ad perjuria in oculis hominum pallianda & occultanda adinvenit. Et quia etiamnum hodie videntur multi hujusmodi vanis prætextibus illudi, & perjuria manifeſta tegere valle, præſertim ad pœnam capitalem, niſi plene probati ſit erunt; imò probationes ſunt luce meridiana clariore.

XLV. Ince. im ſi Principum mens in præſcribendis prædictis juramentis attendatur, conſtabit, omnia hæc juramenta unice inſtituta & ordinata eſſe, ut Judices & Magiſtratus conſtituantur *Viri potentes & rimentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam*; & qui ſine ulla perſonarum acceptione, ulluſque retributionis intuitu, adminiſtrent omnibus indifferenti juſtitiã; ita ut nulla iſtis ſit diſtantia perſonarum; ita parvum audiant, ut magnum, nec accipiant cuiuſpiam perſonam, quemadmodum Judicibus jam pridem præcepit Deus per Moſen *Deuteronomi 1.* addens: *Quia Dei iudicium eſt.*

XLVI. Unde & in Ordinationibus Curia Brabantia *art. 21.* præcipitur, ut Conſiliarii alique de Curia pauperibus pro Deo, id eſt, gratis inſerviant, atque æquè pauperibus, quàm divitibus parati ſint.

Quod ut exactius ſervet *17. 20.* interdicitur Conſiliariis, à litigantibus ante vel poſt ſententiã accipere præter conſtituta ſalaria quodecumque munus, ſive ſub prætextu habendæ expeditionis, vel alio quocumque, ſub pœna, quod hujusmodi munus dantes, aut acceptantes arbitrarie corrigentur. Verba articuli ſunt: *Dat alle die van onſen voofz. Raede ſullen hen reſpectivè te vraden houden mette gagen, die hen by ons toe gheueghs ende gheordineert zyn, ende oock metten anderen accidenten van rapporten ende vacatien ſonder dat ſemandt van hen, of te ſemandt anders in heure naeme*

*eenighe ſchencken of ghiften voor of naer't vonniſe ſal mogen van d' eene of d' andere partyen litigantien, of van bouren vveghen ontfanghen het ware onder't pretext van expedie of andersints, op de pene, dat de ghen, die hen veroorderen, de voorschreven ſchencken of ghiften te doen of ontfamen, ſullen arbitrarlyck ghecorrigeert vvoor den. Id eſt: Ut omnes, qui de Conſilio noſtro ſunt, reſpectivè contenti ſint mercede, iſtis per nos assignatâ & conſtitutâ, prout & aliis adventitiis emolumentis litium relatarum, & operæ impenſæ, ita ut nulli ſuorum aut cuiumque alteri liceat eorum nomine, munera quæpiam, ſeu dona tam ante, quàm poſt latam ſententiã, ab una ſeu altera litigantium parte, aut eorum intuitu recipere, quantumvis accelandæ cauſæ, aut alio obtentu, arbitrarie punitione in eos conſtitutâ, qui prædicta munera aut dona offerre, ſeu admittere præſument.*

XLVII. Judex igitur diligenter excuſâ cauſâ, omnique adhibita operâ, ut notitiã veritatis & juſtitiæ habere poſſit, tenetur ſine ullo perſonarum privato affectu, humanoque & particulari intuitu in juſtitiã & veritate judicare, & ſententiã ferre, neutri litigantiû plus favendo, quàm ipla juſtitiã & veritas favent; atque ita oſtendat reipſâ, ſe non Dominum & arbitrum, ſed miniſtrum duntaxat juſtitiæ; juxta illud S. Ambr. in *Pſ. 118.* "Bonus Judex nil ex arbitrio ſuo facit, ſed juxta leges & jura pronuntiat, Statutis juris obtemperat, nihil indulget propriæ voluntati."

XLVIII. Apage ergo illum horrendum, & omnium juſtitiæ everſivû caſum pro amico, qui judicem non miniſtrum, ſed Dominum & arbitrum juſtitiæ conſtituit: meritòque Alexander VII. & Innocent. XI. duas propoſitiones huic caſui pro amico impenſus favente, latamque portam pendentem, reſpectivè condemnârunt. Propoſitio ab Alexandro damnata hæc eſt: "Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ſe, ſenda ſententiã in favorem unius præ alio." Ab Innocentio proſcripta hæc eſt: "Probabilitate exiſtimo, Judicè poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem."

XLIX. Numquam igitur Judex, tametiſi cauſa utriusque ſit admodû dubia, & probabilis, poteſt uni magis, quàm alteri litigantiû ex privato affectu facere, ſed decidere tenetur, prout in caſu dubio Leges decidi volunt. Patâ ſi agatur de cauſa criminali, tunc licet ſint probationes admodum urgentes contra Reum, quæ cauſam reddant dubiam, nihilominus Reus erit abſolvendus, non ex favore ſpeciali iſtius Judicis erga Reum; ſed quia Leges nolunt Reum condemnari, præſertim ad pœnam capitalem, niſi plene probati ſit erunt; imò probationes ſunt luce meridiana clariore.

Similiter & in cauſa Civili, in dubio uni alterive Parti favendû erit, non quia Judex ei magis afficitur; ſed quia Lex ob ſpecielem rationem, vel ob conditionem perſonæ, putâ quia minor eſt aut pupillus; vel ob favorem cauſæ, v.g. quia agitur de cauſa pia, diſponit, ut in dubio pro Reo aut Actore decidatur: quo caſu poteſt dici, quod Lex dubietatem cauſæ tollat, iſti que Judicis oſtendat, pro quo judicare debeat.

L. Sed quid, ſi omnibus attentis & maturè ponderatis, cauſa maneat utriusque admodû dubia, nec lex diſponat, cui adjudicari debeat; nec hoc caſu fas eſt judici pro amico judicare, aut ſe ut juſtitiã Dominum gerere; ſed ubique ſe ut verum juſtitiæ miniſtrum exhibere, omni humano favore vacuum, cauſamque ſine acceptione perſonarum decidere debet: & ſi deprehendere nequeat, cui eam ſecundùm leges & regulas juſtitiæ adjudicare debeat, tenebitur rem controverſam inter partes dividendo, unicuique pro ratione dubii assignare, quemadmodum jam pridem oſtendit Juris. Conſultor in *l. 40. ff. De Heredit. inſtit.* & ex Navarro notat Zoëlius ad titulum Digitorum *De Judicis num. 32.*

LI. Ut autè judex animo ita indifferenti cauſam expendat & judicet, neceſſarium eſt, ut ſe affectibus & paſſionibus evacuet, atque in ipſo amor juſtitiæ & veritatis omnem ſpem timoremque humanum ſuperet; iſque tam fortis & conſtans ſit pro juſtitiã, ut ſuperare queat omnè affectum cuiuſcumque alterius rei, cujus habendæ cupiditate, aut amittendæ timore.

timore dimoveri poſſet ab adminiſtrandâ, indifferenti animo ſine ulla perſonarum acceptione, juſtitiã. Id indicare voluit Eccleſiaſticus, monens filium ſuum *cap. 7.* *Noli quaerere fieri judex, niſi valeas virtute irrumperere iniquitates: ne forte excimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in equitate tua.* Et ibidem *cap. 4.* *Pro juſtitiã agonizare pro anima tua, & uſque ad mortem certa pro juſtitiã; & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.*

LII. Et quis eſt, qui inter omnes humani intellectus

tenebras omneſque irruentes tentationes & paſſiones à juſtitiã tramite non aliquando deſlectat, niſi ei datum fuerit deſuper; eumque dirigat, illuminet, & ſuſtineat Spiritus Sapientiæ, Spiritus ſcientiæ & fortitudinis? Proinde meritò cum Salomone ſæpiùs ad Deum clamat Judex, præſertim dum cauſæ decifio urgetur: *Da mihi ſedum tuarum aſſiſtricem Sapientiã. & mitte illum de celis ſanctis tuis, & ſede magnitudinis tue ut mecum ſit, & mecum labores, ut ſciam, quid acceptum ſit apud te.*

Reſolutio trium Facultatum Theologiae, Juris Canonici, & Juris Civilis.

**R**eſpondetur, non licere. Et quiſquis eorum aliquid, quæ in iſtis formulis tanguntur, juxta quod planiſſimè verba ſonant, fecerit; & tamen juraverit ſe non feciſſe: eſt indubitati perjuri reus. Non eſt iſta in puteum Democriti abſtruſa veritas, ut nonnulli putant, ſed ita perſpicuè oculis humani generis expoſita: ut non minus dolendum ſit, imperitorum animos propriis cupiditatibus ita obſcurari, ut eam, jam olim inter ethnicos indubitatam, à peritoribus veluti dubiam diſcutiendam cenſeant; quàm ipſos peritos cupiditatibus alienis uſque adeo lenocinari, ut rem lucidiſſimam tuoluſis ratiocinationibus quodammodo obruere, ac de conſcientia hominum delere velle videantur. Quid enim? An fortè non eſt juſjurandum, quo ſe dicunt ſanctè promittere, taſtiſque Evangelis jurare? An non diſertis verbis omnia & ſingula ſe feciſſe vel facturos eſſe negant per ſe, per alios, directè vel indirectè, quocumque modo, quæ ſecundùm appetitiſimum verborum ſenſum, quem ex Principis & Reipubl. mente habent, & omnium hominum ſano judicio præ ſe ferunt, eos feciſſe, vel facere ſe ſciunt, & in ipſo caſu ſupponunt? Falſum ergo eſſe ſciunt, quod jurant, & proinde perjuri eſt. Quid enim perjuri, niſi jurare, quod falſum eſt arbitretur: videlicet non ſe feciſſe vel facturum eſſe, quando ſe feciſſe aut facere norit? Unde Aug. *Serm. 28. de verbis Apoſt. cap. 2.* totius humani generis ſenſum de illa veritate promens, *Da, inquit, alium, qui ſciit falſum eſſe, & dicit verum eſſe. & jurat tanquam verum ſit, quod ſciit falſum eſſe. Videtis, quàm iſta deteſtanda ſit bellua, & de rebus humanis exterminanda! Quis enim hoc fieri vellet? Omnes homines talia deteſtantur.* In quo genere jurantium viderint illi, num ab Auguſtino comprehenſi ſint, qui ſciunt ſe præſentibus, promiſſis vini, cereviſiæ, pecuniarum eſuſionibus, nundinatos eſſe Magiſtratus, Lectiones, aut officia: & ſcientes videntefque, coram ſcientibus, Deo ipſo, quem teſtem invocant, inſpectante, nihilominus jurant non feciſſe: videant, inquam, etiam atque etiam, utrum ipſi non ſint, qui jurant tanquam verum ſit, quod ſciunt falſum eſſe; & timul vident, quàm deteſtanda bellua, & de rebus humanis exterminanda, veritate per os Auguſtini loquente, decernantur. Cujus quidem rei ratio ut enucleatius intelligatur, & occurratur ſrivilis quorundam cavillationibus, quibus tanquam ſiculneis foliis turpitudinem tegunt, ſciendum eſt, certam, receptiſſimamque eſſe veritatem, etiam apud illos, qui quàm maximè habenas adulterant de veritati laxaverunt, fallaciſque verborum perturbantur humani generis commercio, eum qui ipſe ſua nemine, niſi propriâ ambitione aſſequendi honoris impellente, juramento ſeſe ingerit, & eius neceſſitati ſe exponit; atque interim Princeps vel per ſe, vel per ſtatutum juſtiſſiſ nis de cauſis latum, præcipit, ut juret veritatem, non poſſe aliter jurare, quàm ſecundùm mentem Principis ac Statuti. Tunc enim, quidquid aliàs licere vel non licere quiſpiam dixerit, ceſſat omnis cauſa, vel in ſpeciem legitimaſi facandæ veritatis. Nam & Princeps, ut ſupponimus, legitime jubet, & Principi legitime jubenti obediendum eſſe lex humana & divina, & naturalis & æterna teſtatur; nec Principi obedire poteſt,

niſi eo ſenſu jurando, quem mens Principis poſtulat, & ipla verba planiſſimè proſitentur. Nam in illis circumſtantis, nescio, quo privato ſenſu à ſenſu Principis, & ſtatuti, & Reipubl. & omnium hominum alieno jurare, non eſt obedire Principi, ſed illudere: neque calliditas, iſta à perjurio jurantem liberat, ſed eum reddit Principis indignatione, & humani generis deteſtatione digniorum. Omnem enim fidem ex ejuſ commercio funditùs tollit, qui in tam rationabilibus circumſtantis adhuc à verborum ſtophiſ, & occultis ſenſus verſutus præſidium petendum putat. Atqui hæc omnia in præſenti caſu concurrunt liquidiffimè. Nam & Princeps legitime jurari veritatem jubet, & legitime jubet, & tota Reſpublica id, quod jubet, probat, & quo ſenſu jubet, verba clamant, ut vel tardiſſimis notum eſt: & res graviſſima eſt, & Reipubl. omninò neceſſaria, & neminem ad jurandi neceſſitatem adigit niſi propriæ ambitionis ætus, qui ad honores per ambitus corruptelas anhælat & properat. Quis igitur dubitet, hic fidem atque ſinceritatem juſſi ſtatutoque Principis, & expectationi Reipubl. deberi, niſi qui dolosè jurando fallere, & omnem loquendi ſinceritatem, omnem jurisjurandi fidem ex hominibus extirminatam cupit? Cui enim, quando, quomodo quæquam injurato credat, ſi neque juratis hic tutò credi poteſt? Si, inquam, liceat hic commentitio verborum, ſuco Principis & Reipublicæ, & omnium hominum expectationem fallere; & de ceptis interrogatioſi pertinere debere ſenſum reſponſionis. Caterum aliud conſuleri aliud reſpondere, dementiſ eſt. Et Aug. *Epit. 224.* fallacis pejerantium terminos collocans, fidentiſſimè dicit: *Illud ſanè reſiſſimè dici non ambigo, ſecundùm expectationem illius, cui juratur, quam novit ille, qui jurat, fidem jurationis impleri: nam verba difficillimè comprehendunt maxime breviter ſententiã, cujus à jurante fides exigitur. Unde perjuri ſunt, qui ſervatis verbis, expectationem eorum, quibus juratum eſt, deſecerunt.* Propter quam, credo, abſolutiſſimam Auguſtini reſolutionem Veritas illa in Jus Canonicum, Sancto Iudoro Hiſpalenſi Epilcopo verba præferente, translata eſt. *Cap. Quacumque art. 22. q. 5. S. Iſidor. l. 2. ſent. c. 31.* *Quacumque arte verborum quiſque juret, Deus tamen, qui conſcientiã teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit. Dupliciter autem reus ſit, qui & Dei nomen in vanum aſſumit, & proximum dolo capit.* Unde de perjuriis ſimul ac dolum in hujusmodi jurejurando, quod ad privatas intentiones relicto legitimo verborum ſenſu detorqueatur, non minus Iſidorus atque Auguſtinus deteſtantur; Iſidor. *ibid.* dum non minus ita jurando, quàm proximum dolo capiendò, jurantes reos fieri volunt. Nampe uterque regulam à Spiritu Sancto fixam

intuebatur; qui cum rogaretur à Propheta suo, Pl. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Planissimum responsum dedit, non solum dicendo: *qui loquitur veritatem in corde suo*, ibid. v. 3. & 5. quod omnes isti Princ. pum & Reipubl. Ludificatores pro se jactant; sed etiam addendo: *Qui non egit dolum in lingua sua: qui jurat proximo suo, & non decipit.* Quamvis justius addas: *Qui jurat Regi suo & Reipubl. & non decipit?* Nam hujusmodi deceptio, si uspiam, certe in istis nostris casibus circumstantiis, tam æquis ex parte Regis & Reipubl. tam iniquis ex parte ambientium, qui ultro præcipites in istas mentiendi & pejerandi angustias ruunt, maxime detestabilis est: ut sanè ad veritas tales potissimum sententias suas Scriptura & Veteres isti pronuntia verint, quibus & Zacharias exitium comminatur, Zach. 3. 3. & 4. *Hæc est maledictio, qua egreditur super faciem omnis terre: & venit ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, & consumet eam, & ligna ejus, & lapides ejus.*

Deinde ex alio capite doctrinæ istius veritas perspicuo constare potest: quando enim à Principe, vel Collegiis popularibus aliqui ad Magistratum vel Professiones Academicas adsciscuntur, inter Eligentes Electosque expressum hoc intercedit pactum, ut non alia lege ad Magistratum aut Professionem admoti censeantur, quam si solemnijurejurando hi se de ambitu purgaverint; illi vero præterea se viros idoneos, Officiis atque Lectionibus, citra personarum acceptionem, ac munerum sordes, se ad moturos receperint, juxta formulas juramenti supra descriptas. Jam verò certum est, & omnium Doctorum sententiâ indubitatum, à conventionibus pactisque mutuis, sive tacitis sive expressis, omnem abesse debere fraudem, dolumque malum; multoque magis à Sacramentis, quibus conditionem appositam se servaturos alter alteri spondet ac jurat. Est autem fraus, dolumque malus, sicut scit omnis, qui verba Latina intelligit, cum aliud agitur, & aliud fingitur, inquit Augustinus Tract. 7. in Joann. & in Psalm. 5. & in 14. Vel, ut alibi post Philosophos dicit: *Cum aliud agitur, aliud simulatur: cum aliud ore profertur, aliud pectore tegitur.* Tull. lib. 3. offic. Quod qui faciunt, ut olim rectè quidam dixit, *perfidij, improbi, multos sunt*: qui autem Dei testimonio fidem simulationis istius supplere volunt, perfidiam addunt perjurium. Alterutrum autem quisquis tanquam licitum in conventiones humanæ societatis admittit, omnia profecto vincula mutui commercii dirumpit, omnem fidem adimit dicentibus, promittentibus, jurantibus; ponitque sternit, per quem omnes fraudes, mendacia, perjuria tuto transeant. Hoc certe scio, quisquis hujusmodi restrictionem, vel potius fraudium aut mendaciorum strophas in mutuis conventionibus permittas putat, nonnisi succensere debere, qui sibi juranti, celumque & terram in fidei subsidium invocanti, non crediderit. Quâ pœnâ talibus nulla forsân justior, & ad perversitatem illam corrigendam opportunior infligi posset: nimirum, ut suam omnibus hominibus fidem in loquendo suspectam esse sentiant, qui eam ex hominibus docendo sustulerunt. Fixum ergo ratumque maneat, à pactis mutuis omnem abesse debere fraudulentiam; omnem ergo occultam restrictionem, quæ verbis ex mente pacificentium non comprehenditur. Tantò enim perniciosior ille dolus est, quanto latentius lædit; tantò detestabilior, quanto majori hypocriti sub integritatis pallio latet. Ex quo nascitur, ut omnium gentium judicio, quisquis in paciscendo, pactique conditionibus jurejurando sanciens, etiam hostem, nedum Principem fellerit, aliud animo cogitans, aliud verbis præ se ferens, sacrilegus & perjurus sit. Talis judicatus est olim Cydias, Historiam narrat ex Herod. Stobæus ferm. 26. qui cum aurum ex deposito reddendum suscepisset, baculum, cui illud incluserat, Archetimo cuidam, qui deposuerat, manu tenendum tradidit, interea testem invocans Deum

cum versuta mentis interpretatione, se aurum ei reddidisse. Sed Deo suam à fraudibus vindicante veritatem, baculus per Archetimo iratum fractus, aurum effusum, dolus detectus fuit; Cydias cum detestatione humani generis malâ morte periit. Tales & illi multo potiori jure sunt, qui cum Professionem, vel Magistratum, sub lege præstitæ vel præstandæ integritatis, à nundinationum sordibus, acceperint, eamque pecuniarum & munerum acceptione aertissimè violaverint; andacter jurant, eam se præstitisse, videlicet (sicut mentis restrictione Principem suum ludificantur) quia non acceperunt, ut non nemo, publice: ut alii, non ab indignis: ut alii, non ultra solum. Quasi verò acceptio clancularia, aut ab eis, quos ipsi dignos judicant, aut per corruptos hominum mores jam consueta, non sit acceptio munerum, non sordes, non damnatae impositæ lege corruptelæ. Sic enim, his authoribus, etiam Romanus populus pejerare potuisset, se nihil omnino accepisse, quando usque ad consuetudinem quâdam ambitus invaluerat, ut corruptelis uterentur *ἀσέβεια ἰσχυροῦς, ut opificio consueto*, Plutarch. in Catone Uticensi palamque in foro, mensurâ pecuniarum plenè ponerentur, quibus suffragia populi redimerent. Nihil enim ultra consuetum, nihil nonnumquam palam, nihil sæpius ab indignis accipiebant. Idem in Cæsare. Nam Cæsar inter cæteros industriâ, fortitudine doni bellique clarus, & per quàm dignus fuit, qui Gallicarum opum profusione obnoxiam tenebat plebem. Sed quemadmodum nemo dubitat, intolerandas istas fuisse Romani populi corruptelas, ita & nostrates esse, certum est: & neutra restrictionum beneficio interjurandum interposito, à manifesti perjurij labe excusari possunt. *Fraus enim astringit*, non dissolvit perjurium, Cicero lib. 3. offic. Nec vero veritas ista tam obsecra est, ut vel in solis Doctoribus Ecclesiasticis, vel in Sacris Literis quaerenda sit. Vidit eam, scripsit, opereque expressit impietas Paganorum, ut pietas Christianorum notrorum erubesceret. Marcus enim Attilius Regulus, cum à Carthaginensibus captus, eis non per Sacramenta Dei veri, sed per demonum inquinamenta jurare cogebatur, ut nisi captivorum commutationem impetrasset, rediret ad carcerem; non putavit in istis angustiis aliquâ jurandi dexteritate sibi posse subveniri, sed horrendos corporis cruciatus sibi revertèto subeundos potius arbitrans est, quàm fallaciter suum de redivo jusjurandum intelligendo, vel non redeundo, pejerare. Perjurium enim se omnino fore judicavit, si aliud iuraret, quàm quod legitimus verborum sensus præ se tulit, quodque ab illo non Rex, non Respublica sua, sed hostis firmandum Sacramenti sanctitate postulabat. Nam hinc est etiam illud præclarum, & ab Augustino epist. 224. celebratum, quod Romana Censura post acceptum Cannensem cladem noluit retinere in numero Senatorum (Polib. & Aug. unum fuisse) volunt ex decem. Livius verò & Attilius Græcus plures, de quo & Tull. in fine 3. offic. non solum eos, qui metu mortis crudeliumque pœnarum aperitissimè pejerare, quàm ad castra Pœnorum redire maluerunt; sed etiam illos, qui reatu perjurij se putaverant absolutos, quia post præstitum jusjurandum quasi aliquid oblitij, fictâ nescio quâ necessitate, reversi fuerant, quam quodam jurandi artificio præter mentem eorum, quibus juraverant, excepisse videbantur. Omnibus enim notis ignominijque confectos esse tradunt, ut quidam eorum mortem sibi exemplo consciverint; cæteri non foro soluti omni deinde vitâ, sed prope luce, ac publico caruerint. Vide Livium lib. 32. in fine. Tull. in fine lib. 3. offic. *Ita non attenderunt*, inquit Aug. Epist. 224. *qui eum Senatū pepulerunt, quid ipse jurando cogitasset, sed quid ab illo iij. quibus juraverat, expectarent.* Hæc legitimus, hæc miramur, hæc infidelium sentia & facta laudibus in celum tollimus; & nos Christiani disputandum putamus, utrum perjuri sint, qui non hostibus sed Reipublicæ & Regi suo, nullo mortis justæ vel injustæ, nullo carceris

arcendi metu, sed se ambitionis æstu stimulante, ultro sese ad Magistratum & Officia inde ad jusjurandum subeundum offerunt, sententiâq; facti sui, & conscientia reclamante pejerant, nihil eorum se fecisse vel facturos esse, quæ jurandi formulâ exprimentur? Et quod magis intolerabile est, ad hoc nefas quasi licitum, viri boni, nescio quâ Theologia quasi limacioris fiducia annuendum esse decernunt. Quid enim est hoc aliud, quàm artem fallendi Principem & Respublicam adeoq; pejerandi tradere si verum est, quod verissimum esse in casu longè mitiori docuit August. 224. *Perjuros esse, qui servatis verbis expectationem eorum quibus juratum est, deceperunt?* Quæ si temporibus Augustini monstra sententiarum prodissent, quâ vocis contentione & animi gemitu iterum juxta doctrinæ suæ jam traditæ regulam exclamasset Lib. cont. mendac. c. 18. *Et sunt in eis docti, qui etiam regulas figunt, sineque constituunt, quando debeat, quando non debeat pejerari. O ubi estis fontes lacrymarum: & quid faciemus, quò ibimus, ubi nos occultabimus ab irâ veritatis si non solam negligimus cavere mendacia, sed audemus in super dolo, cere perjuri?*

Ab hujus labe criminis aliqui se immanes putant; quòd non aliter censeant intelligendum hoc jusjurandum, vel aliter à Principe intelligi, quàm ne eorum pantur donis promissivè Collatores, ut in personam indignam suffragium suum conferant. Argumento esse, quod Princeps sciat istam donandi potandique consuetudinem, nec in statuti (ut sonat) transgressores animadvertat. Ita vindex criminum, in eorum patrocinium accessit: sed toto cælo falluntur, primo, quia ex conniventia Principum, scelerum licentiam colligere, fallacissimum est argumenti genus. Nam in criminibus vindicandis multa possunt Principes, quæ non expediunt; multa expediunt, quæ non possunt, multa possunt & expediunt, sed opportunis differuntur; multa, quia publicæ probationis luce destituta, quamvis se verissimè puniendâ, relinquunt Deo, qui solus occultorum testis & iudex est. Deinde, quòd putant Principem & Rempub. intelligere cum ista restrictione juramentum, sine dubio falsum est. Primo, quia non potest cadere in priorem juramenti partem, quia quisque jurat, se non ambuisse muneribus Magistratum. Illius enim sensus absolutus est, quòd munera nulla dederit, quibus suffragia compararet, sepositâ omni dignitatis indignitatq; consideratione. Quid enim magis fingi posset factum, quàm jusjurandum ab aliquo de sua dignitate seu capacitate postulare, ut videlicet juret, nullis muneribus, quibus eligentes corruerit, se ambivisse, ut se indignum eligentem legitur neque restrictio illa in posteriore partem cadere potest, quâ idem jurat, se munera non accepturos. Discretè enim additur, quòd similiter, sive eodem sensu, quod jurant se non dedisse, jurent se non accepturos esse munera. Deinde, quemadmodum officia conferre indignis propter munera, gravis noxa Reipubl. est, ita & muneribus corrupti, ad officia minus dignis conferenda, præteritis dignioribus, Reipubl. vehementer noxium est. Utrumque ergo incommodum amoliri voluerunt, qui in bonum Reipubl. istas jusjurandi formulas præscriperunt. Denique, quia juramenti objectum, sensus, & veritas verbum, quibus expressum est, ex significatione pender, non ex conceptibus, quos sibi pro arbitrio jurantes formant. Ex mentali autem restrictione verborum significationem suspendere, est omnem istorum vocalium significationem vim ac certitudinem, adeoq; omnem humanæ societatis fidem, quæ citra illam subsistere nequit, uno lætali ictu interimere. Cum ergo in præscriptis jusjurandi formulis nullum verbum sit, quod vel dignitatis vel dignitatis significationem præ se ferat, non est illa juramenti interpretatio, sed adulteratio. Dignitatis ergo eorum, qui concurrunt ælimatio, conscientia eujusque juxta naturæ legem relicta fuit, non autem juramento illigata; propterea quòd plerumque illius comparatio incertior

sit, quàm ut juramento asseri possit: mala autem fides in illa spectanda secretior sit, quàm ut deprehendi possit. At verò quia munerum oblatio, Collatorum judicæ excæcare, & affectum potentissimè ad se trahere solet, illæque sinceritatis pestes facile notari possunt, in eas cautio juramenti palam directâ fuit, ut universum excluderentur. Ad extremum Rex ipse sensum juramentorum tallium nuper perspicuè exposuit. Nam in Edicto an. 1626. quo Sacramentum omnibus officiorum Candidatis imponitur, disertissimis verbis declarat in præfatione, se non permittere, ut Collatores officiorum ex eis emolumentum suum caperent, non magis venditione, aut elocatione, quàm aliâ quacumq; ratione: neque ut quispiam accipiat, aut largiatur quicquam respectivè in recognitionem aut gratitudinem, directè vel indirectè, quocumque modo. An dignis vendere & elocare, à dignis pretium emungere, caveas, cetero vilisariis exagere, non est suum captare emolumentum? Hinc ulterius in eodem Edicto Art. 1. cuncta officia, quæ tali modo extorta facta que fuerint, ipso jure vacare & impetrari posse decernuntur. An dignorum officia, non sunt officia? Hinc quotquot præterea pretili alicujus accepti aut dati culpâ detinentur, officis deiciendos, & ad hoc ipsum vel aliud administrandum totâ vitâ inhabiles esse, sancitur. Quæ profecto manifestissimè clamant, omnes omnino quorumlibet corruptelas, sive digni sive indigni videantur Candidati, Regia Sanctione esse suppressas. Et sanè remedium, quod fordidis istis coercendis jam olim publica auctoritate oppositum fuit, hoc sensu intellectum nullius fuerit, esseve poterit utilitatis: juramento enim satisfecerit, fidemque purgaverit suam, quisquis dixerit se dignum putavisse, qui revera indignus fuerit: adeoque jurisjurandi violati non nisi à seipso damnari poterit. Neque minus contra scopum hujusce Regiæ Sanctionis tendit, quòd à dignis, quàm quòd ab indignis accipiantur munera. Toto enim Edicto illud in primis spectat Princeps, quemadmodum late in ipsa Præfatione aliisque locis declaratur, ne populus exactionibus, aliisque illicitis emungendâ pecuniæ modis, à Magistratibus Præfatisque suis opprimatur, dum pretium, quo in venandos honores & officia, plena manu sumum fuit, paulatim iterum cum senore colligitur. Quod profecto malum Reipubl. ab omnibus illis ambitiosis suffragiorum corruptionibus imminet. nec verò umquam hujusmodi leges & juramenta sic intellecta fuerunt in Rebus publicis, quæ sordes ambientium severè coercendo, oppressiones justitiæ & populi, aliæque mala, à cervicibus suis arceri voluerunt. Testis est Romanæ, in qua semper Ambitus, hoc est, criminis affectati perperam honoris, fuerunt rei, quotquot in se populi suffragia pretio pertraxissent, sive de cætero digni sive indigni haberentur. Quæ de causâ crimen istud etiam in maximis illius Reipubl. viris tum accusatum, tum magna se veritate vindicatum est. Nam ut Salustius *Vir bonus ad honores & Imperium verâ vitâ*, Salust. in Conjur. Catil. hoc est, ut eum exponit Aug. lib. 5. de Civit. cap. 12. virtute, *nitur: malus doli atque fallacis contendit*: Inter quas profecto, munerum corruptelæ non infimum locum tenent. Itaque postquam suffragiorum invaluisse corruptelam per adulteros populi mores, & Cato legem à Senatu ferendam curasset, quo Magistratus designati, si neminem accusatorem haberent, Plut. in Canone Minore, *jurato iudicio se offerre cogentur, atque ibi rationem parati Magistratus reddere*; etiam perjuri habiti sunt, non solum suffragatores, qui pretio in Candidatos traducti probarentur, sed etiam Candidati, si cuius facta Sacramento ejus dissona probata fuissent. Quam propterea legem ita timuere Candidati, ut periculosissimum tumultus adversus Canonem concitatus fuerit. Nimirum, quia nondum didicerant à Christianis Ethnici dexteritatem deponendi istius metus, subilem, inquam, illam Theologiam, qua legitimam Reipubl. Sanctionem de non comparandis aut vendendis pretio suffragiis, quam juxta